

104.

1. Mittitur archangelus fidelis
Ad Mariam virginem de coelis,
Antiquis quae latuere velis,
Vox haec patefecit Gabrielis.
2. Ingressus hic nuntiat amoena,
Ave, inquit, gratia tu plena,
Heres manet in te vitae vena,
Inter omnes femina serena.
3. Cujus ex sermone fit turbata,
Cogitabat, cur sic sit affata,
Stupet virgo, quod sit salutata
Voce prius nunquam usitata.
4. Ne timeas, inquit, o Maria,
Dominus nam tecum exstat dia,
Altissimi filium tu quia
Gignis et vocabis hunc Messia.
5. Quomodo, legate arcanorum,
Pariam nunc regem angelorum,
Conjugis non novi viri thorum,
Virgini hoc exstat indecorum.
6. Almi sancti spiritus radius
Obumbrabit, virgo, tuos sinus,
Ex te enim exiet dominus,
Ab aeterno genitus filius.
7. Ecce dei humilis ancilla,
Fiat verbum, quod dicis, in illa,
In me sistunt vates et sibylla
Per me ruit Evae necis scylla.
8. Laetentur christicolae soluti
Pharaonis vinculis versuti,
Liberi deserviant virtuti,
Mundi pompam calcantes polluti.